

## P R O P O S I T I O .

*Episcopatus verum est Sacramentum , & quidem à Sacerdotio distinctum .*

Probatur prima pars. Ad verum Sacramentum tres requiruntur conditiones , nempe ritus sensibilis , vis gratiæ conferendæ & institutio divina : atqui tria hæc reperiuntur in Ordinatione quæ consecratur Episcopus. 1º. Quidem ritus sensibilis , nimirum impositio manuum & oratio. *Episcopus cum Ordinatur* , ait Concilium Carthaginense IV , *duo Episcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem super caput & cervicem ejus , & uno super eum fundente benedictionem , reliqui omnes Episcopi qui adsunt , manibus suis caput ejus tangant.* ( *Cap. 2. tom. 2. Concil. pag. 1199.* ) Ergo 1º. &c.

2º. Adjunctam habet vim gratiæ conferendæ , ut patet ex istis Apostoli verbis ad Timotheum : *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quæ in te est per impositionem manuum mearum.* ( *2. Tim. 1. 6.* ) Quæ verba de Episcopatu propriè intelliguntur. Nemo enim nescit Timotheum à Paulo fuisse consecratum Episcopum , illiusque Ordinationis hic mentionem fieri. Idem significant hæc verba , *accipe Spiritum Sanctum* , quæ ad Episcopum Ordinandum diriguntur , tum à Præsule consecrante , tum ab aliis duobus quos in hoc opere socios habet ; ergo 2º. &c.

3º. Adest institutio divina. Sic enim testatur Paulus : *Ipse (Christus) dedit quosdam Apostolos.* ( *Ephef. 4. 11.* ) Atqui Apostolis successerunt Episcopi ; Deum igitur habent institutorem ; ergo 3º. &c. ac proinde Episcopatus omnes complectitur conditiones ad verum Sacramentum requisitas ; ergo , &c.

Prob. secunda pars , quæ prioris est consecrarium : nam ille ritus est Sacramentum à Presbyteratu distinctum , cui nihil horum deest , quæ ad constitutum speciale Sacramentum necessaria sunt ;

atqui Episcopatu nihil horum deest quæ , &c. non ritus exterior & sensibilis , non institutio divina , non gratia singularis quam huic Ordini illigari par fuit , qui ceteris dignitate superior est , ac officiorum multitudine operosior ; ergo Episcopatus peculiare est Sacramentum , à Presbyteratu distinctum , non autem mera illius extensio : quinimò longè melius diceretur Presbyteratum esse Episcopatus participationem & veluti quamdam emanationem , inferius enim à superiore , potius quàm superius per extensionem ab inferiore profuere concipitur.

Dices 1º. Si Episcopatus verum sit Sacramentum à Presbyteratu distinctum , plura quàm septem erunt Sacramenta : atqui Ecclesia septem dumtaxat erunt Sacramenta : *Si quis dixerit* , ait Synodus Tridentina , *Sacramenta novæ legis... esse plura vel pauciora , quàm septem , anathema sit.* ( *Sess. 7. de Sacram. in gen. can. 1.* ) Ergo , &c.

Resp. 1º. Retorqueo argumentum contra adversarios qui Presbyteratum & Diaconatum totidem divisim esse Sacramenta docent. Si Presbyteratus & Diaconatus veri Sacramenti naturam seorsim habeant , plura quàm septem erunt Sacramenta : atqui nonnisi septem admittit Ecclesia ; ergo Presbyteratus & Diaconatus veri Sacramenti rationem divisim non habent ; si quid igitur in objecto argumento sit ponderis , ipsos premit adversarios.

Resp. 2º. Neg. maj. Quemadmodum enim Episcopatus & Presbyteratus , licèt inter se distincti , unum genericè Ordinem faciunt , quia ambo sub Sacerdotio , tanquam genere , includuntur ; alter velut species nobilissima , alter velut inferior : sic etiam , quamvis totidem divisim sint Sacramenta , unum tamen genericè Sacramentum efficiunt , quia sub eodem Sacramenti Ordinis genere continentur , ad eundemque fidem , nempe corporis Christi in Eucharistia consecrationem , spectant , quamquam diversis modis.

Dices 2<sup>o</sup>. Si Episcopatus esset Ordo distinctus, Sacramentumque distinctum à Presbyteratu, sine illo posset consistere: atqui tamen res aliter se habet, cum nemo possit esse Episcopus, nisi prius fuerit Presbyter; ergo, &c.

Resp. Neg. maj. Quamvis enim Episcopatus à Presbyteratu discrepet, eum tamen, Deo ita volente, includit præviumque necessariò habere debet, cum sit culmen & plenitudo Sacerdotii. Quemadmodum igitur stare non potest fastigium domus sine fundamento quod ei subternitur, etiam si alterum ab altero differat; ita, licet Episcopatus sit Ordo à Presbyteratu distinctus, sine eo tamen nequit consistere.

### PARAGRAPHUS II.

#### De materia & forma Episcopatus.

Episcopalis Ordinatio à tribus saltem Episcopis celebratur, quorum unus speciatim dicitur *consecrans*, iique ritus observari solent. 1<sup>o</sup>. Consecrans, accepto Evangeliorum libro, illum apertum supra cervicem & scapulas electi silens imponit. 2<sup>o</sup>. Tres Episcopi utràque manu Consecrandi caput tangunt, dicentes *Accipe Spiritum Sanctum*. Quo factò, consecrans extensis manibus duplicem fundit orationem, quâ Electo Spiritus Sancti gratiam apprecatur, ut munus episcopale dignè obeat. 3<sup>o</sup>. Consecrans sancto chrismate caput & manus Consecrandi inungit, dicens: *Ungatur & consecretur caput tuum, & ungantur manus istæ, &c.* 4<sup>o</sup>. Episcopo consecrato tradit baculum pastoralem, anulum & librum Evangeliorum, his verbis: *Accipe baculum, &c. accipe anulum, &c. accipe Evangelium, &c.* In iis verbò ritibus, quid materiæ, quid formæ rationem habeat, inter Scholasticos disputatur.

### PROPOSITIO I.

*Manuum impositio essentialis est Ordinationis Episcopalis materia, & quidem probabiliter sola.*

Probatur prima pars. 1<sup>o</sup>. Quia Scriptura, cum Ordinationis, sive episcopalis, sive sacerdotalis, mentionem facit, solam commemorat manuum impositionem, cui vim gratiæ conferendæ tribuit. *Admoneo te*, inquit Paulus, *ut resuscites gratiam Dei quæ in te est per impositionem manuum mearum.* (2. Tim. 1. 6.) *Noli negligere gratiam quæ data est tibi cum impositione manuum.* (1. Tim. 1. 14.) 2<sup>o</sup>. Quia ritum illum ita constanter, vel ab initio frequentarunt Ecclesiæ omnes, ut in tota antiquitate nulla proferri possit, quæ sine manuum impositione Episcopos consecraverit. Hinc Dionysius vulgò Areopagita, vel quisquis alius autor antiquissimus, *Pontifex*, inquit, *qui ad pontificiam consecrationem est evectus, ..... supra caput habet. . . . manum Pontificis, atque hoc modo..... consecratur.* (De Eccles. Hierarch. cap. 5. n. 2. edit. Cord. tom. 1. p. 312.) 3<sup>o</sup>. Apud Græcos & Orientales Latinosque, vel à prioribus sæculis, mos invaluit ut Ordinatio, tum episcopalis, tum sacerdotalis, *impositionis manuum* nomine significaretur: atqui hæc appellatio videtur ex eo repetenda, quòd *essentialem* uniusque Ordinationis materiam in manuum impositione contineri, communis esset doctrina.

Prob. secunda pars. Si præter manuum impositionem, alia esset Episcopatus materia *essentialis*, maximè vel codicis Evangeliorum supra Consecrandi cervicem impositio, vel unctio capitis & manuum, vel traditio libri Evangeliorum: atqui nihil horum dici potest. 1<sup>o</sup>. Quidem non codicis Evangeliorum impositio: quod enim ad episcopalis Ordinationis essentiam pertinet, cum eà semper &

ubique debuit esse necessario conjunctum : atqui hæc codicis Evangeliorum impositio non fuit semper & ubique cum Ordinatione episcopali colligata ; siquidem cum primi Episcopi ab Apostolis fuerunt instituti , nondum scriptus erat Evangeliorum codex : quin etiam , postquam scriptum fuit Evangelium , non ubique observatus fuit ille ritus , cum de eo prorsus taceat S. Isidorus Hispalensis , qui VII sæculo floruit , licet Ordinationis episcopalis ritus omnes minutatim summâque diligentia descripserit. (*Lib. 2. de divinis officiis , cap. 5.*) Unde merito colligitur ceremoniam hanc ipsius ætate in Hispaniis nondum in usu fuisse ; ergo 1<sup>o</sup>. &c.

2<sup>o</sup>. Dicitur non potest *essentialem* esse capitis & manuum unctionem : hanc enim Græci nunquam usurparunt , cum nullum ejus vestigium reperias , vel in Græcis Scriptoribus , vel in eorum Ritualibus Libris , quos exhibent *Morin* , *Goar* & *Martenne* : atqui nedum hujusmodi Ordinationes repudiaverint Pontifices Romani , contra statuerunt ut Græci consuetum Ordinandi morem retinerent. Benedictus XIV decernit , ut *Episcopi Græci in Ordinibus conferendis ritum proprium Græcum in Euchologio descriptum servent.* (*Constit. Etsi Pastoralis , sect. 7.*) Præterea , quamvis ille ritus apud Latinos sit antiquissimus , cum illius meminerint S. Leo , & Gregorius Magnus , ubique tamen primitus in usu non fuit ; siquidem de eo nullum verbum facit Concilium Carthaginense IV , quamvis singula recensent in Ordinationibus usurpari solita.

3<sup>o</sup>. Non *essentialis* est traditio libri Evangeliorum ; tum quia verus existeret Episcopatus , priusquam tradi potuerit Evangeliorum codex ; tum quia hæc ceremonia apud Latinos recentis est instituti ; *Hanc enim nulli Rituales*, ait *Morinus*, *ante quingentos annos scripti , nulli autores ante idem tempus commemorant ;* (*De sacris Ordin.*

*part. 3. exercit. 2. cap. 2. n. 5.*) tum quia ritus ille in Orientalibus Ecclesiis non viget , quæ tamen veros habent Episcopos ; superest igitur ut in manuum impositione collocetur tota Ordinationis episcopalis materia *essentialis* ; ceteræ verbò ceremoniæ ad majorem tantum officii & muneris episcopalis explicationem *successivè* fuerint inductæ.

### PROPOSITIO II.

*Ordinationis episcopalis forma sita est in oratione per quam Episcopus consecrans , dum Ordinando manus imponit , Spiritum Sanctum invocat.*

Probat. In eo reponenda est Ordinationis episcopalis forma , quod ab initio & ab utraque Ecclesia semper observatum fuit : atqui talis est oratio quâ invocatur Spiritus Sanctus. 1<sup>o</sup>. Quidem ab ipsis Ecclesiæ incunabulis adhibita est in Episcoporum consecratione. De Ordinatione enim Pauli & Barnabæ dicitur : *Tunc jejunantes & orantes , imponentesque eis manus , dimiserunt illos.* (*Act. 13. 3.*) 2<sup>o</sup>. Eam utraque Ecclesia constanter usurpavit , ut apud *Morin* & *Martenne* fidem faciunt omnes Latinorum Libri Pontificales , & omnia Græcorum Euchologia. In constitutionibus Apostolicis Episcopus consecrans hanc fundit orationem : *Da in nomine tuo , Deus cognitor cordis , huic servo tuo , electo à te in Episcopum , pascere gregem sanctum tuum , . . . . & offerre tibi dona Ecclesiæ sanctæ tuæ.* (*Apud Coteler. tom. I. pag. 392.*) Dionysius de Episcopi inauguratione hæc habet : *Hoc modo à Pontifice qui ipsum ( Episcopum ) consecrat , . . . sanctis precibus sanctificatur.* (*Edit. Cord. tom. pag. 312.*) Concilium Carthaginense IV jubet Episcopum , Presbyterum & Diaconum Ordinari , *Episcopo eos benedicente* ( sive , ut dicitur ) *fundente benedictionem* : (*Can.*

2. tom. 2. Concil. pag. 1199. ) *Benedictionis* autem nomine apud Veteres significari solet oratio.

PARAGRAPHUS III.

*Utrum Episcopi ex jure divino sint Presbyteris superiores.*

Sæculó IV docuit Aërius Episcopus inter & Presbyteros nihil esse discriminis : *Aëriani*, inquit Augustinus, *ab Aërio quodam sunt, qui cum esset Presbyter, doluisse fertur quod Episcopus non potuit Ordinari, & in Arianorum hæresim lapsus, propria quoque dogmata addidisse nonnulla, dicens Presbyterum ab Episcopo nullâ differentiâ discerni.* ( *Lib. de Hæres. cap. 53. tom. 8. pag. 18.* ) Calvinus sæculo XVI contendit dignitatem & jurisdictionem, quâ Episcopi hodiè supra simplices Presbyteros eminent, humani tantum juris esse & instituti.

PROPOSITIO.

*Episcopi ex jure divino sunt Presbyteris superiores.*

Probatur 1<sup>o</sup>. Episcopus esse Apostolorum successores, constans unanimisque est Patrum doctrina. Omnes, Episcopi, ait S. Hieronymus, *Apostolorum successores sunt.* ( *Epist. ad Evang. tom. 4. part. 2. pag. 803.* Horum profectò ( *Apostolorum* ) nunc in Ecclesia Episcopi locum tenent, inquit Gregorius Magnus : ( *Lib. 2. Homil. 26. in Evang. n. 5.* ) ita & alii. Eodem igitur modo Presbyteris superiores sunt Episcopi, quo fuerunt Apostoli : atqui Apostolos ex jure divino fuisse Presbyteris superiores, nemo sapiens negaverit. Hinc in Actuum Apostolorum historiâ, quotiès Apostolorum & Presbyterorum five seniorum fit mentio, Presbyteri secundo post Apostolos gradu constituuntur. Sic, v. g. cum habitum fuisset Conci-

lium Hierosolymitanum, ad definiendam quæstionem de lege Mosaica exortam, Epistola in hunc modum scripta legitur : *Apostoli & seniores fratres iis qui sunt Antiochia.* ( *Act. 15. 23.* ) Præcipiebat Paulus *custodire præcepta Apostolorum & seniorum* : ( *Ibid. v. 41.* ) atqui constans illa Scripturæ consuetudo Apostolos primo loco appellandi, satis probat Apostolos Presbyteris fuisse jure divino superiores; eadem igitur dignitas Episcopis Apostolorum successoribus competit.

Prob. 2<sup>o</sup>. Eam non à legibus humanis, sed ab institutione divina jurisdictionem habent Episcopi, quam ipsis tribuit Scriptura : atqui variis in locis Scriptura eam Episcopis autoritatem asserit, quâ sint Presbyteris superiores ; eos quippè exhibet ut Presbyterorum judices. Timotheum enim sic admonet Paulus : *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* ( *1. Tim. 5. 19.* ) Atqui Superioris est adversus aliquem accusationem recipere & testes audire : eadem Scripturâ teste, Episcopi est Presbyteros in civitatibus constituere. *Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ*, inquit Paulus Tito, *ut constituas per civitates Presbyteros* ; ( *Tit. 1. 5.* ) qui autem Presbyteros per civitates constituit, eorum moderator censetur, ipsisque superior ; ergo, &c.

Prob. 3<sup>o</sup>. ex Patribus : ex innumeris ipsorum testimoniis pauca tantum brevitatis causâ profereamus. S. Epiphanius hæc Apostoli ad Timotheum monita expendens : *Seniorem ne increpaveris, adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus* ; ( *1. Tim. 5. v. 1. & 19.* ) hæc, inquam, verba expendens S. Doctor sic habet : *Quid attinebat Episcopo vetare, ut ne Presbyterum objurgaret, nisi majorem ipso potestatem obtineret ? quare deinceps admonet ? adversus Presbyterum citò accusationem ne admisseris, nisi duobus tribusve testibus, Non alicui ex Presbyteris*

præcepit, ut accusationem contra Episcopum non admitteret; aut ut Episcopum non objurgaret. (Tom. I. Hæres. 75. n. 5. p. 910.) Ergo S. Doctor in prædictis Apostoli verbis consignatam vidit Episcoporum supra Presbyteros auctoritatem.

S. Cyprianus docet Ecclesiam super Episcopos constitui, & omnem actum Ecclesiæ per eosdem Præpositos gubernari; idque divinâ lege fundatum esse. (Epist. 27. edit. Baluz. pag. 37 & 38.) Ad Cornelium Papam ita scribit: Quod si ita res est, .... inquit, ut nequissimorum timeatur audacia, .... actum est de Episcopatus vigore, & de Ecclesiæ gubernandæ sublimi ac divinâ potestate. (Epist. 55. pag. 80.) Illi profectò ex jure divino Presbyteros jurisdictione antecellunt, ad quos ex lege divina pertinet omnes Ecclesiæ actus dirigere & moderari, qui divinam habent Ecclesiæ gubernandæ potestatem: atqui, teste S. Cypriano, talis est Episcoporum auctoritas; ergo, &c.

S. Hieronymus, cujus patrocinio potissimum gloriantur Heterodoxi, nostram hanc doctrinam variis in locis adstruit: Quod Aaron & filii ejus, inquit, atque Levitæ in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi & Presbyteri vindicant in Ecclesia. (Epist. 101. ad Evangelium, tom. 4. part. 2. pag. 303.) Eandem veritatem sic confirmat: Quod Aaron & filios ejus, hoc esse Episcopum & Presbyteros, noverimus. (Epist. 34. ad Nepotianum Presbyterum, tom. 4. part. 2. pag. 261.) Atqui apud omnes certum est, Aaron filiis suis Sacerdotibus auctoritate majorem fuisse ex institutione divinâ; ergo pariter, jure Hieronymo, Episcopi novæ legis Presbyteris auctoritate præcellunt. Qui longiorem Patrum seriem voluerit, adeat Witassium.

Prob. 4<sup>o</sup>. Id Deus ipse meritò dicitur Apostolis, eorumque successoribus Episcopis largitus, quod devitandis schismatibus, & conservandæ unitati ecclesiasticæ necessarium est: atqui Episcopus unicus in unaquaque Ecclesia & speciali jurisdic-

ditione præminens, à Veteribus habetur ut necessarius ad occurrendum schismatibus. Vix enim aliam causam asserunt, cur unicus in veteri lege fuerit Summus Pontifex, & cur in Evangelicâ unus Præsul unicuique Ecclesiæ præficiatur: Ecclesiæ salus, inquit Hieronymus, in Summi Sacerdotis, id est, Episcopi, dignitate pendet; cui si non exors quædam & ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis officientur schismata, quot Sacerdotes. (Dialog. advers. Luciferianos, tom. 4. part. 2. pag. 295.) Fatetur ipse Calvinus Judaicæ Religioni unum Antistitem à Deo fuisse præpositum; quem omnes inspicerent, quò melius in unitate continerentur. (Lib. 4. institut. cap. 6. n. 2.) Ergo, &c.

Prob. 5<sup>o</sup>. Universa Ecclesia Aerium tanquam hæreticum habuit, eo quòd Episcopos negaret Presbyteris esse superiores: atqui nemo propriè hæreticus est, nisi dogma divinitus revelatum impugnaverit; ergo, juxta mentem Ecclesiæ, auctoritas quâ Presbyteris antecellunt Episcopi, revelatione nititur; ergo non humanam, sed divinam sibi vindicat originem.

## Solventur objecta.

Obj. 1<sup>o</sup>. Actuum cap. 10, v. 17. 18. & 28. de Paulo sic narratur: A Mileto mittens Ephesum, vocavit majores natu Ecclesiæ (græcè Presbyteros) qui cum venissent ad eum, & simul essent, dixit eis: ..... attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Ibi Apostolus Episcopos vocat quos priùs dixerat Presbyteros.

Unde sic: Primis Ecclesiæ temporibus iidem vocantur Presbyteri & Episcopi; ergo tunc utrisque par erat dignitas, æqualis & auctoritas.

Resp. Neg. conseq. Ex hujusmodi enim argumento nihil colligi potest, si nomen multis com-

mune non semper communem arguat dignitatem & atqui nomen commune multis non, &c. sic Apostoli non raro *seniores*, seu *Presbyteri*, dicuntur; eo nomine se vocat ipse Petrus: *Seniores*, inquit, *qui in vobis sunt, obsecro consenior.* (1. Ep. 5. 1.) Quin & ipsemet Christus dicitur *Episcopus animarum nostrarum.* (Ibid. cap. 2. 25.) Atqui tamen nemo putaverit, idcirco vel Episcopos Christo, vel Presbyteros Apostolorum Principi fuisse dignitates pares; ergo, &c.

Obj. 2<sup>o</sup>. S. Hieronymus quorundam Diaconorum qui supra Presbyteros sese efferebant, superbiam variis rationibus reprimat, & maximè quòd *Apostolus perspicuè doceat eosdem esse Presbyteros, quos Episcopos.* (Epist. ad Evangelum, tom. 4. part. 2. pag. 802.) Porro inter eos nullum est potestatis discrimen, qui iidem sunt: atqui, juxta S. Hieronymum, iidem sunt Presbyteri & Episcopi; ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Inter eos nullum est potestatis discrimen, qui iidem sunt quoad dignitatem; conc. quoad nomen tantum, neg. maj. dist. par. min.

Cùm temporibus Apostolicis, Sacerdotes primi & secundi ordinis *Episcopi* & *Presbyteri* indiscriminatim appellarentur, potuit eo sensu dicere Hieronymus, ab initio eosdem fuisse Presbyteros & Episcopos. Non aliud autem in animo habuisse satis indicant verba quæ subjungit: *Certè in una civitate plures Episcopi ..... esse non poterant: sed quia eosdem Episcopos illo tempore quos & Presbyteros appellabant, propterea indifferenter de Episcopis, quasi de Presbyteris est locutus* Apostolus: quæ verba non obscure significant S. Hieronymum communem tantum appellationem respicere.

Et verò, si non tantum nomine, sed etiam potestate & dignitate, eundem cum Episcopis Presbyterum esse judicasset, in una civitate in qua plures sunt Presbyteri, non possent non esse plures

plures Episcopi: atqui, ex Hieronymo, *in una civitate plures Episcopi esse non poterant*; ergo, ne ipse sibi adverfetur, ipsius verba eo sensu accipienda sunt, quòd iidem essent Presbyteri & Episcopi quoad communem duntaxat appellationem. Denique in eadem Epistola ad Evangelum reperitur decantatum illud S. Doctoris effatum: *Quid facit, excepta Ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Quomodo igitur dicere potuisset eosdem esse quoad potestatem & dignitatem Episcopos ac Presbyteros, in eo ipso loco ubi sacram Ordinationem solis vindicat Episcopis?

Subsumes: atqui Presbyteri & Episcopi iidem erant quoad officium, dignitatem & potestatem. Ita enim dixerit S. Doctor: *Idem est ergo Presbyter qui & Episcopus; & antequam diaboli instinctu studia in Religione fierent, & diceretur in populis: ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cepha, communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur.* (Comment. in cap. 1. Epist. ad Tit. tom. 4. part. 1. pag. 413.)

Unde sic: Illi iidem erant officio & potestate, qui communi consilio Ecclesiæ gubernabant: atqui, ex Hieronymo, Presbyteri & Episcopus communi, &c. ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Illi iidem erant, &c. qui communi consilio parique autoritate Ecclesiæ gubernabant, conc. maj. qui communi consilio, sed dispari autoritate Ecclesiæ gubernabant, neg. maj. dist. parit. min.

Commune quidem fuit consilium, sed dispar autoritas. Illius enim consilii dux & princeps erat Episcopus penès quem summa residebat autoritas. Presbyteri autem sub Episcopi arbitrio in partem regiminis veniebant. Hinc Nepotianum sic hortatur ipse Hieronymus: *Esto subjectus Pontifici tuo..... Quod Aaron & filios ejus, hoc esse Episcopum & Presbyteros noverimus.* (Epist. 34. ad Nepot. Presbyterum. Tom. 4. part. 2. pag.

261.) Quis verò inficiari audeat Aaron filiis suis auctoritate præcelluisse? Passim suis in epistolis testatur S. Cyprianus se nolle sine Cleri consilio quidquam agere: se tamen Presbyteris superiorem agnoscit, ut constat ex dictis.

Subsumes: Atqui, juxta S. Hieronymum, ita communi consilio regebantur Ecclesiæ, ut Episcopi majorem ex jure divino potestatem non habuerint, quàm Presbyteri. *Episcopi*, inquit, *noverint se magis consuetudine, quàm dispositionis dominicæ veritate Presbyteris esse majores, & in communi debere Ecclesiam regere.* (Comment. in cap. 1. *Epist. ad Tit. tom. 4. part. 1. pag. 413.*)

Unde sic: Qui declarat Episcopos magis Ecclesiæ consuetudine, quàm dispositionis dominicæ veritate, Presbyteris esse majores, is profectò censet Episcopos non divino, sed humano tantum jure esse Presbyteris superiores: atqui S. Hieronymus declarat, &c. ergo, &c.

Resp. 1<sup>o</sup>. Neg. maj. Ex verbis enim S. Doctoris sequitur Episcopos esse Presbyteris majores, tum ex consuetudine, tum ex institutione divina; iste igitur locus ab heterodoxis objectus doctrinæ catholicæ favet, nedum noceat.

Resp. 2<sup>o</sup>. Dist. ant. Objecta Hieronymi verba intelligenda sunt de jurisdictionis usu & exercitio, conc. de primaria jurisdictionis institutione & veluti radice, neg. ant.

Itaque ut S. Doctoris mentem assequamur, duo sunt accuratè secernenda, jurisdictionis nempe, & ipsius usus vel exercitium. Si jurisdictionis exercendæ modum spectes, potuit dicere Hieronymus Episcopos ex consuetudine præsertim Ecclesiæ, Presbyteris esse majores, quia ex Ecclesiæ disciplina factum est, ut latius quàm olim pateat jurisdictionis episcopalis exercitium. Scilicet inter ipsa Religionis exordia, non omni auctoritate suâ utebantur Episcopi, sed cum Presbyteris communi consilio Ecclesiam regebant & moderabantur;

cum autem inde nata essent schismata & dissensiones, quia unusquisque administrator partem aliquam gregis sibi devotam & mancipatam tenebat, tunc satius visum est ut ad unum Episcopum omnis penè auctoritas referretur, quò facilius omnes sub eodem capite in officio & concordia continerentur. *Ut dissensionum plantaria evellerentur*, ait Hieronymus, *ad unum omnis sollicitudo delata est.* (*Ibid.*) Quibus verbis significat omnem Ecclesiæ curam & sollicitudinem, quæ prius in plures divisa erat, ad unum exinde Episcopum delatam esse; cum igitur ait ex consuetudine præsertim factum esse, ut Presbyteris majores essent Episcopi, ipsius verba intelligenda sunt de jurisdictionis tantum exercitio, quod ex Ecclesiæ disciplina latius majusque evasit, quàm antea fuerat.

Si verò ipsam Episcoporum jurisdictionem in primaria illius veluti radice, origine & institutione spectes, certum est ex S. Hieronymo eam in jure divino fundari, ut constat ex iis quæ jam diximus. Præterea in ipso qui nobis objicitur loco statim subjungit S. Doctor: *Episcopos in communi debere Ecclesiam regere, imitantes Moysen, quia cum haberet in potestate solus præesse populo Israël, septuaginta elegit cum quibus populum judicaret.* Ibi comparat Hieronymus Episcopum cum Moyse, & Presbyteros cum septuaginta senioribus quos elegit, ut eorum consilio uteretur: atqui procul dubio, Moyses ex jure divino fuit auctoritate superior septuaginta senioribus; ergo, juxta mentem Hieronymi, pariter Episcopus Presbyteris ex auctoritate divinitus accepta superior est.

Subsumes: Atqui de solo jurisdictionis exercitio non loquitur S. Hieronymus; sed præterea docet ex jure divino nihil esse discriminis inter Episcopatum & Presbyteratum. Sic enim narrat: *Alexandria à Marco Evangelista; usque ad Heraculam, Presbyteri semper unum ex se electum in*

excelliori gradu collocatum, Episcopum nominabant, quomodo si exercitus Imperatorem faciat. (Epist. ad Evangelum.)

Unde sic: Afferit Hieronymus Alexandriae per ducentos & amplius annos hunc morem obtinuisse, ut Presbyteri unum ex suo gremio facerent Episcopum, quomodo Imperator olim ab exercitu eligebatur, ac proinde sine ulla nova Ordinatione & consecratione; ergo S. Doctor censuit ex jure divino nihil esse discriminis inter Episcopatum & Presbyteratum.

Resp. Dist. ant. Afferit S. Hieronymus Alexandrinos Presbyteros olim unum ex suo germino creasse Episcopum, quomodo Imperator ab exercitu eligebatur, quoad aliqua, conc. quoad omnia, neg.

In objecta scilicet epistola illud est S. Doctoris institutum, ut probet Diaconis superiores esse Presbyteros; ceteris autem argumentis adjungit veterem Ecclesiae Alexandrinae morem, quae ex solo Presbyterorum, non vero Diaconorum ordine, Episcopum eligebat: quod Presbyterorum praeter Diaconis excellentiam arguit. Eo igitur tantum spectat Hieronymi comparatio, quod ex Presbyteris Alexandrinus unus eligeretur in Episcopum, sicut à militibus eligebatur Imperator: sed, praeter electionem Episcopi, ex constanti universalis Ecclesiae Traditione semper necessaria fuit illius Ordinatio sive consecratio ab Episcopis facta; quam legem ab Ecclesia Alexandrina servatam fuisse, constat ex vetustissimo apostolicarum constitutionum Autore: testatur enim Anianum, qui primus post S. Marcum Alexandrinae Ecclesiae praefuit, ab eodem S. Marco, & Abilium Aniani successorem à S. Luca fuisse consecratum. (L. b. 7. cap. 46. Edit. Cotelier. tom. 1. pag. 38.) Consecrationem hanc filet quidem in objecto loco S. Hieronymus, quia ad scopum suum non pertinebat; eam vero minimè negat.

## PARAGRAPHUS IV.

Utrum Parochi juris sint divini, suamque à Christo potestatem habeant.

Quidam Theologi contendunt Parochos suam ab Episcopis jurisdictionem mutuari, inter quos eminet D. Corgne in opere cui titulus: *défense du droit des Evêques.* (Tom. 2. pag. 674.) Alii verò multi cum sacra Facultate Parisiensi docent divinam esse Parochorum originem ac jurisdictionem, quibus suffragamur.

Cum autem asserimus juris divini esse Parochos, id non eo sensu dictum volumus, quod Christus Parochias, quales nunc existunt, instituerit: sed eos divinitus institutos ita intelligimus, ut eam quam in fideles exercent auctoritatem à Deo immediatè, non autem ab Episcopo teneant. Cum Missam celebrant, cum baptizant, cum verbum Dei praedicant, haec omnia peragunt ex potestate sibi à Spiritu Sancto concessa, nec eos spectare licet, tanquam simplices Episcopi Vicarios, quasi ab illo quidquid habent juris acceperint. His praenotatis, fit

## PROPOSITIO.

Parochi juris sunt divini, suamque à Christo jurisdictionem immediatè acceptam habent.

## ARG. I. Ex Scriptura.

Sic refert S. Lucas: *Post hæc designavit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem & locum quod erat ipse venturus, & dicebat illis: ite, ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos, . . . qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* (Cap. 10. v. 1. 2. 3. 16.) Quibus ex verbis apertum est



72 Discipulos à Christo institutos & missos fuisse, & proinde suam ab ipso jurisdictionem immediatè accepisse; idem ergo de Parochis sentiendum est, qui 72 Discipulis successère, eorumque jurisdictionem exercent, sicut Episcopi Apostolorum locum & auctoritatem obtinent, ut testatur unanimis perpetuaque Traditio.

Venerabilis Beda: *Sicut 12 Apostolos formam Episcoporum exhibere & pramonstrare, nemo est qui dubitet; sic & hos 72 figuram Presbyterorum, id est, secundi ordinis Sacerdotum gessisse sciendum est. (In Luc. cap. 10. v. 1.)*

Theodulphus Aurelianensis Episcopus, qui Caroli Magni temporibus florebat, Presbyteris sic verba facit: *Scitote vestrum gradum nostro gradui secundum & penè conjunctum esse: sicut enim Apostolorum in Ecclesia, ita nimirum Presbyteri ceterorum Discipulorum locum tenent. (Concil. Labb. tom. 7. col. 1137.)*

Riculphus Sueffionensis Episcopus Parochos sic hortatur: *Sicut nos, licèt immeriti, Apostolorum vices in hac Ecclesia agere debemus; ita & vos quoque 72 Discipulorum nobiscum ministerium in hac plebe dominica exercere oportet; . . . ad vos enim plebium pertinet cura & sollicitudo, & ex vobis pendet earum salus. (Concil. Labb. tom. 9. pag. 417.)*

Hincmarus Archiepiscopus Remensis: *Christus... Ordinem & dignitatem Episcoporum, qui locum in Ecclesia tenent Apostolorum, & Presbyterorum qui subrogantur loco septuaginta Discipulorum, & in administratione & in honore... discrevit. (Hincmar. opera, tom. 2. pag. 769.)*

S. Thomas: *Formam 72 Discipulorum non solum tenent Presbyteri Curati, sed quicumque alii minoris ordinis qui Episcopis in eorum officio subserviunt. (2. 2. quæst. 188. art. 4. ad 5.)*

Clarissimus Gerson: *Status Curatorum succedit statui 72 Discipulorum Christi . . . proinde status Curatorum est de institutione Christi. (Tract. de stat. Eccles. de stat. Curat. consid. 1.)*

Concilium Colonienſe an. 1536: *Christus alios 72 Discipulos designavit, quorum locum in Ecclesia tenent Presbyteri. (Enchir. de Sacram. Ordinis pag. 169. edit. Paris. an. 1545.)*

Parochi igitur, sicut 72 Discipuli quorum sunt successores, à Christo fuerunt instituti, suamque ab eo jurisdictionem habent.

Dices: Quæ modo congeſſimus testimonia, si perpauca excipias, de Presbyteris tantum mentionem faciunt, de Parochis verò prorsus tacent; argumentum igitur ex iis deductum probat quidem omnes Presbyteros juris esse divini, sed nullum Parochis peculiare privilegium asserit.

Resp. Cum Parochos juris esse divini, suamque à Christo jurisdictionem accepisse contendimus, illud, ut jam pramonuimus, non intelligendum est quasi Christus Parochias, quales nunc videmus, instituerit. Quis enim nesciat ex jure ecclesiastico factum esse ut Parochiæ intra quoddam territorium continerentur, utque Parochi forent perpetui, nec possent à suis Beneficiis amoveri? Id unum verò intendimus, nempe à Christo missos fuisse 72 Discipulos ad prædicandum Evangelium; Christum voluisse ut ipsis succederent Presbyteri, qui idem Evangelium nuntiarent, qui in regendo populo fideli essent Episcoporum adjutores, cujus salutis sub eorum auctoritate incumberent. Quibus in officii situm est munus Parochiale, quod à Christo institutum asserimus. Vox ista *Parochus* olim infueta erat: nemo etiam ad Sacerdotium promoveri consueverat, quin ipso suæ consecrationis tempore alicui Ecclesiæ addiceretur, ut ei operam suam daret. Presbyteri qui nullam jurisdictionem, nullamque in animarum regimine partem habent, in eo capite 72 Discipulis non succedunt, nec Parochi sunt pares, quamvis ratione Sacerdotii ipsis æquales sint.

## ARG. II. Ex Catechismis.

Tanto numero sunt Catechismi qui docent Pa-  
rochos juris esse divini, ut singulos hic appellare  
non liceat. Paucos igitur allegabimus.

Catechismus Cardinali *Mazarin* dedicatus, &  
qui apud Catholicos Anglos ab annis pluriquam  
centum in usu est, sic habet: *Qui sont ceux à qui*  
*J. C. a donné le pouvoir de gouverner & d'ensei-*  
*gner? Ce sont premièrement les Evêques, & ensuite*  
*les autres Prêtres, qu'on appelle communément*  
*Curés. (Expos. des principaux art. de la doctrine*  
*Chrét. recueillis de plusieurs Catéchismes; Paris.*  
*1647. Lec. 10. de l'Eglise, pag. 83.)*

Catechismus Senonensis an. 1699: *Qui J. C.*  
*a-t-il laissé à l'Eglise pour sa conduite? Des Pas-*  
*teurs, un Pape en St. Pierre, des Evêques & des*  
*Pasteurs inférieurs. (Lec. 9.)* Quinam autem sunt  
Pastores illi inferiores Episcopis, nisi Parochi?  
Catechismus Trecentis à D. de *Chavigni* editus,  
in quo nihil immutavit D. *Bossuet* ipsius successor:  
*Les pasteurs légitimes dont J. C. se sert pour gou-*  
*verner son Eglise, sont le Pape, les Evêques,*  
*les Curés & les Prêtres sous l'autorité des Evêques.*  
*(1. part. 20. Lec. 20. pag. 63.)*

Catechismus Rhedonenfis (de *Rennes*) an. 1577:  
*Les fidelles doivent reconnoître la puissance que*  
*Dieu a donnée au souverain Pasteur de l'Eglise,*  
*aux Evêques, .... Curés & autres ayant charge en*  
*l'Eglise de Dieu. (Chap. 8. pag. 35.)*

Catechismus Vesuntinus (de *Besançon*): *Les*  
*Pasteurs de l'Eglise à qui les fidelles doivent obéir,*  
*sont, 1<sup>o</sup>. notre saint Père le Pape.... successeur de*  
*St. Pierre... 2<sup>o</sup>. les Evêques, successeurs des Apô-*  
*tres; 3<sup>o</sup>. les autres Pasteurs, tels que sont les*  
*Curés, successeurs des Disciples de Notre-Seigneur*  
*J. C., ac proindé à Christo instituti. (Edis. de*  
*1675, instruç. 16. pag. 65.)*

Catechismus vulgò dictus *des trois Evêques* cujus  
tanta est celebritas, & quem suum fecit D. *le*  
*Tellier* Archiepiscopus Remensis: *Les Ministres que*  
*J. C. a établis, & par lesquels il gouverne visi-*  
*blement l'Eglise, sont les Curés dans leurs Parois-*  
*ses, les Evêques dans leurs Diocèses, le Pape*  
*dans toute l'Eglise. (Catéch. à l'usage du Diocèse*  
*de Rheims, part. 7. Lec. 2. pag. 454.)*

Catechismus Lactoracensis (de *Leçoure*) an.  
1688: *Le souverain Pasteur de nos ames a établi*  
*les Pasteurs ou Curés dans la personne des 72*  
*Disciples: il les a établis pour gouverner son Eglise.*  
*(part. 4. Lec. 88. part. 445.)*

Catechismus Rhutenus (de *Rhodes*) an. 1721:  
*J. C. gouverne visiblement son Eglise par les Minis-*  
*tres qu'il a établis pour la conduite des fidelles. Les*  
*Ministres dont il se sert pour gouverner l'Eglise,*  
*sont les Curés dans leurs Paroisses, les Evêques*  
*dans leurs Diocèses & le Pape dans toute l'Eglise.*  
*(Instruç. 9. pag. 24.)*

Unde colligitur istud argumentum: *ii Ministri*  
*sunt juris divini, qui à Deo instituti fuerunt, ut*  
*Ecclesiam sub Episcoporum autoritate regerent:*  
*atqui ex allegatis Catechismis, & aliis innumeris,*  
*in quibus exponuntur præcipua Doctrinæ Chris-*  
*tianæ capita, Parochi à Deo, &c. ergo, &c.*

## ARG. III. Ex Judiciis sacra Facultatis Parisiensis.

In asserenda quam defendimus veritate semper  
constans fuit sacra Facultas Parisiensis. Anno 1408,  
Joannes Gorel Franciscanus hanc thesim propug-  
naverat: *Curati non sunt de institutione Christi*  
*& Ecclesiæ primariâ. Quam doctrinam indignatus*  
*sacer Ordo, oppositam hanc assertionem profiteri*  
*eum compulit: Curati sunt in Ecclesia minores*  
*Praelati & Hierarchiæ ex primaria institutione Christi.*  
*(Hist. Univers. Paris. tom. 5. pag. 189.)*

Anno 1429 Joannes *Sarazin* propositionem hanc

de fenderat: *Dicere inferiorum Prælatorum potestatem jurisdictionis, sive sint Episcopi, sive Curati, esse immediatè à Deo, sicut potestatem Papæ, veritati quodam modo repugnat.* (*Ibid. pag. 387.*) Non tulit hanc doctrinam sacra Facultas, eamque sic revocari jussit: *Dicere inferiorum Prælatorum potestatem jurisdictionis, sive sint Episcopi, sive Curati, esse immediatè à Deo, Evangelicæ & Apostolicæ consonat veritati.* (*Ibid.*)

Anno 1664 Jacobus Vernant, ex Carmelitarum Ordine, librum edidit cui titulus: *La défense de l'autorité de notre S. Père le Pape.* Quo in opere multa erant doctrinæ quam tuemur contraria. Sex propositiones inde excerptas censoriâ notâ sic pertrinxerunt Doctores Parisienses: *Hæ sex propositiones, quatenus asserunt vel inferunt potestatem jurisdictionis Curatorum non esse immediatè à Christo, quantum ad institutionem primariam, falsæ sunt, & decretis sacre Facultatis contrariæ.*

Anno 1772 in lucem prodiit scriptum cui fictus erat hic titulus: *Déclaration de la doctrine de la Sorbonne sur l'institution & la jurisdiction des Curés, contre les assertions du Syndic du Chapitre de Cahors.* Hoc opere violatam suorum Majorum doctrinam sic vindicârunt Theologi Parisienses: *Venerandum Parochorum Ordinem esse de jure divino, & immediatè à Deo institutum tenet sacra Facultas Parisiensis; statum hunc ad essentialem & intrinsicam Ecclesiæ Hierarchiam pertinere, constanti Majorum suorum traditione didicit.*

#### Solvuntur objecta.

Obj. 1<sup>o</sup>. Ideò Parochi dicuntur esse juris divini, quia 72 Discipulis succedunt: atqui hæc successio mera est fabula. Qui enim illam primus testatur Venerabilis Beda, sæculo VIII floruit; apage Traditionem quæ suum non ducit initium, nisi à sæculo VIII; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Numquid nullius momenti est sententia, quæ sæculo VIII proposita, exinde constanter & sine ulla interruptione propugnata fuit? quam defenderunt tot viri pietate & scientiâ conspicui, quæ in Catechismis ferè omnibus consignata est? Ante sæculum VIII, inquis, non vulgata fuit; sed nullus etiam ipsi contradixit. Ubi primum in lucem prodiit, nemo reclamavit, nemo eam novitatis accusavit: quod manifestum est argumentum doctrinam hanc antiquæ Traditioni esse consentaneam.

Præterea ex Scripturis constat Discipulos à Christo fuisse institutos ab obeundas quasdam functiones Ecclesiasticas ad prædicandum Evangelium. Non minus certum est eadem munia, vel à primis Ecclesiæ temporibus, exercuisse Presbyteros; ergo 72 Discipulis in eodem ministerio successerunt.

Inst. Si Presbyteri non fuerint 72 Discipuli, iis non succescere Parochi: atqui 72 Discipuli non fuerunt Presbyteri, siquidem ultimæ cœnæ non interfuerunt, ubi Christus Apostolos constituit Sacerdotes; ergo, &c.

Resp. Neg. maj. Sive enim Sacerdotes fuerint 72 Discipuli, sive non fuerint, nihil interest. Eorum quippè successores merito dicuntur Parochi, modò 72 Discipuli à Christo jurisdictionem acceperint, quæ in Parochos transferit: atqui 1<sup>o</sup>. jurisdictionem habuerunt 72 Discipuli, siquidem à Christo missi sunt ad prædicandum Evangelium, *ecce ego mitto vos*, &c. utque sub Apostolis Ecclesiam regerent. Legitima autem missio jurisdictionem importat, neque morari nos debet, quòd Presbyteri non fuerint. A Presbyteratu enim sejuncta esse potest jurisdictio: sic Parochi paucis abhinc annis, licet nondum Presbyteri, plura tamen agere poterant, quæ ad jurisdictionem pertinent. Sic pariter S. Paulus Apostolatam longè prius exercuit, quàm Presbyter consecraretur *manuum impositione & oratione.*

(*Ad. 3. 13.*) 2<sup>o</sup>. Eandem quam 72 Discipuli jurisdictionem obtinent Parochi; Ecclesiam enim sub Episcoporum autoritate regunt, & animarum salutem incumbunt; ergo etiam si Presbyteri non fuerint 72 Discipuli, eorum tamen successores verè dicuntur Parochi.

Obj. 2<sup>o</sup>. Parochias tertio tantum sæculo fuisse institutas patet ex S. Justino qui secundo sæculo scribebat: *Solis die, inquit, omnium qui in urbibus vel agris degunt, in eundem locum conventus sit*, nempe sub Episcopo; (*Apolog. I. n. 67.*) ergo tunc nulli extiterè Parochi, ac proinde non sunt juris divini.

Resp. 1<sup>o</sup>. Transeat ant. Juxta quosdam enim, vel ipsi Apostolorum temporibus extitisse Parochias maxime verisimile est. Id colligunt ex S. Pauli ad Romanos Epistola: *Commendo vobis, inquit, Phæben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ quæ est in Cenchris.* (*Rom. 16. 1.*) Porrò Ecclesia illa non erat Sedes Episcopalis. Theodoretus enim in hunc locum observat Cenchreas esse Corinthi suburbium (*fauxbourg*); hæc igitur Ecclesia vera fuit Parochia, quæ ab uno, vel pluribus Presbyteris regebatur. Ex verbis autem S. Justini id unum inferri potest, nullas scilicet extitisse Parochias in locis ubi scribebat, non verò in aliis regionibus.

Resp. 2<sup>o</sup>. Neg. conseq. Etiam si enim concederemus, ante sæculum tertium non institutas fuisse diversas in locis Parochias, inde non sequeretur nullos tunc extitisse Parochos: hoc quippe nomine Presbyteros intelligimus, qui sub Episcoporum autoritate populum fidelem doceant, regant & Sacramentis pascant: atqui vel ab ipsis Ecclesiæ incunabilis, fuerunt hujusmodi Presbyteri. Id patet ex istis Apostoli verbis: *Qui benè præsumt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina.* (*1. Tim. 5. 17.*) Presbyterorum autem nomine hinc Epif-

copos non designari probant subsequentiæ hæc verba: *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* (*Ibid. v. 19.*) De aliis enim Episcopis, ut potè sibi æqualibus, judicium ferre non poterat Timotheus.

Obj. 3<sup>o</sup>. Si Parochorum jurisdictio Christum habeat autorem, ea non pendeat ab Episcopis: quis enim mortalium autoritatem sibi arrogare possit in ea quæ à Christo instituta fuerunt, sive quæ juris sunt divini? atqui falsum est Parochorum jurisdictionem ab Episcopis non pendere; ergo, &c.

Resp. Diff. maj. Ab Episcopis non pendeat quoad institutionem & collationem primariam, conc. maj. quoad exercitium & limitationem, neg. maj. similiter diff. min.

Porrò qui Parochos eorumque jurisdictionem instituit Christus, etiam voluit ut ea non exerceretur, nisi sub Episcoporum autoritate: alioqui tota subverteretur Respublica Christiana, cujus in eo maxime situs est ordo, ut inferiores superioribus pareant. Quis autem Catholicus neget Episcopos esse Parochis superiores? certum est igitur Parochorum jurisdictionem, licet divinitus institutam, Episcoporum autoritati esse quoad exercitium subjectam.

Parochorum autem jurisdictio, quoad institutionem & collationem primariam, ab Episcopis non pendet, sive ab iis suam non ducit originem. Potestatem enim suam ab eo tenent Parochi à quo suam habuerunt 72 Discipuli quibus succedunt: atqui Discipulos suam à Christo jurisdictionem immediatè accepisse, ex dictis compertum est; ergo de Parochis idem sentiendum. A quo enim fonte dimanat Episcoporum jurisdictio? nonne à Christo? quam autem ob causam? nisi quia succedunt Apostolis qui suam autoritatem ab eodem Christo immediatè acceperunt.

Obj. 4<sup>o</sup>. Prioribus Ecclesiæ sæculis nulli Presbytero licitum erat citra Episcopi licentiam bap-

izare & alias functiones ecclesiasticas exercere; *Dandi quidem Baptismi*, inquit Tertullianus, *habet jus summus Sacerdos, dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen sine Episcopi autoritate*; (*Lib. de Bapt. cap. 17.*) Ergo merum figmentum est divina Parochorum institutio, qui jurisdictionis potestatem ab ipso Christo immediate acceperint.

Resp. Neg. conseq. Quod nobis hic obicitur, id unum probat, nempe jurisdictionis à Christo Parochis collatæ exercitium ab Episcopi judicio pendere; quod ultrò confitemur. Primis Ecclesiæ nascentis temporibus, ob fidelium paucitatem, verbo Dei annunciando & Sacramentis administrandis unus sufficiebat Episcopus; potuit igitur illas functiones Ecclesiasticas sibi retinere, easque sine ipsius licentia non exercebant Presbyteri, & suam ab eo missionem accipiebant. Quid verò ipsis dabat hæc missio? an Sacrificium offerendi, verbum Dei prædicandi, Sacramenta conferendi potestatem? nequaquam; hanc enim à Deo sua in consecratione jam acceperant. Hæc igitur missio Presbyteris subjectos tantum designabat, in quos Ordinis potestatem legitime exercerent. Tandem Presbyteri ex institutione divina possunt Sacrificium celebrare; id tamen, ne diebus quidem Dominicis, olim ipsis licitum erat sine Episcopi consensu.

Obj. 5°. Presbyteros consecrat & instituit Episcopus; ergo suam ab eo jurisdictionem habent.

Resp. Neg. conseq. Episcopus ab aliis Episcopis consecratur; numquid eam ob causam ab iis accipit potestatem sive Ordinis, sive jurisdictionis? Episcopi, juxta præsentem disciplinam, à Romano Pontifice per Bullas instituuntur; an propterea suam ab eo jurisdictionem mutuuntur? Romanus ipse Pontifex ab hominibus eligitur, super Cathedram Petri constituitur; an idcirco suam ab hominibus autoritatem acceptam habet? Nequaquam, Ratio est quòd non alius sit omnis Ecclesiasticæ potestatis fons, quam Christus qui per Episcopos

consecrantes, veluti per totidem canales, jurisdictionem Episcopalem communicat. Episcopi, dum sacros Ordines conferunt, sunt tanquam instrumenta, quorum interventu Deus potestatem sacerdotalem impertit.

Veritatem hanc magis conspicuam faciet ista comparatio. In Monarchia Rex solus est potestatis judiciariæ principium: eam quibusdam per se & proximè communicat; aliis autem per homines intermedios, quibus Judices instituendi facultatem dedit. Ineptè prorsus diceretur Optimatem quempiam esse autoritatis Judicis quem creat, fontem & principium; merus quippè est canalus, per quem Princeps autoritatem hanc in alium derivat. Penes Regem solum est potestas judicialis; quisquis hujus sit particeps, eam à Rege tantum acceptam habet: sed quosdam homines Princeps elegit, quibus hanc aliis suo nomine conferendi munus commisit. Ita pariter solus Deus est potestatis Episcopalis & Sacerdotalis fons & principium: sed eam Episcoporum ministerio in alios transmittit: quis enim mortalium queat potestatem dare Christum super altare præsentem efficiendi, & Spiritum Sanctum in alios effundendi?

Obj. 6°. Sacra Facultas Parisiensis in censuris quas tantoperè jactamus, non pronuntiat juris divini esse Parochos, nisi quatenus opponuntur Religiosis, non autem aliis Presbyteris, qui eandem ac Parochi potestatem sua in consecratione accipiunt; ergo hujusmodi censuræ Parochis nihil speciale attribunt.

Resp. Neg. ant. Franciscanus enim *Gorel* Parochos impugnabat *prout tales sunt*; contendebat eos non esse de institutione Christi *primaria*: Facultas verò Parisiensis de ipso Parochorum statu sic pronuntiat: *Domini Curati sunt in Ecclesia minores Prælati, & Hierarchæ ex prima institutione Christi*; Parochos igitur hic spectat, prout in se sunt, non verò tantum quatenus Religiosis opponuntur.

Præterea simplicibus Presbyteris accommodari non possunt tituli qui Parochis tribuuntur à Theologis Parisiensibus; ab iis enim dicuntur *Prælati* & *Hierarchæ*. Illæ autem voces hominem significant sacrâ autoritate instructum, qui subditos habet in quos eam exercet. Quid autem simile reperias in simplici Presbytero, cui nullus est populus, qui nulli speciatim fideli suum ministerium ex officio (*par étar*) debet, qui nemini imperare potest? Contrâ verò Parochi nomine intelligitur Presbyter, qui populo sibi commisso præest, cui modo peculiari debet sui ministerii functiones, & à quo exigendi obedientiam jus habet. Immeritò proinde diceretur Parochos esse juris divini comparatè ad Religiosos, minimè autem quoad alios Presbyteros qui ipsis ratione Ordinationis sunt æquales; quasi verò Pastoris *actualis* munus secum importaret Sacerdotis titulus, postquam in Ecclesiam investæ sunt vagæ Ordinationes.

---

## C A P U T I V.

### De sacræ Ordinationis Ministro.

**T**RES erunt hujusce capituli articuli; primus scilicet de ordinario; secundus, de extraordinario; tertius, de legitimo hujus Sacramenti Ministro.

## ARTICULUS PRIMUS.

### De ordinario conficiendæ Ordinationis Ministro.

Inter varios quos Hæretici recentiores disseminârunt errores, inquit *Drouin*, perniciosissimus ille fuit quo Episcopatum conculcantes, jus non eligendi tantum, verum etiam instituendi, & quoscumque Ecclesiæ Ministros Ordinandi, penes Magistratum politicum esse, asserere non erubuerunt: contra quos fit

### PROPOSITIO.

#### *Solus Episcopus ordinarius est Minister Ordinationis.*

Probatur 1°. Ii soli ordinariam habent Ecclesiæ Ministros consecrandi potestatem, quibus solis auctoritatem hanc attribuit Scriptura: atqui non aliis quàm Apostolis, ac proinde eorum successoribus Episcopis, Ecclesiæ Ministros Ordinandi potestatem vindicat Scriptura. Quis enim primos septem Diaconos, à fidelium multitudine electos, consecravit? Nonne Apostoli? (*Act. 6. 6.*) Quis per singulas Ecclesias constituisse Presbyteros ibidem legitur? (*Cap. 14. 22.*) Nonne Paulus & Barnabas? Quis Timotheum per manuum impositionem Ordinavit? (*2. Tim. 1. 6.*) Nonne Paulus ipse Apostolus? Ergo, &c.

Prob. 2°. Ex constanti & perpetua Ecclesiæ consuetudine, quam in omnibus tum Latinorum Ritualibus, tum Græcorum Euchologiis spirantem reperias, ubi sacræ Ordinationis ministerium solis adscribitur Episcopis. Iis etiam accedunt innumera Veterum testimonia. Patres Synodi Alexandrinæ, ex Lybia, Thebaide & Pentapoli anno 319 congregati, in Epistola Synodica declarant Ischyram Presbyterum non esse, quia